

istam κατάληψιν, quam, ut dixi, verbum e verbo exprimentes, comprehensionem dicemus, quum ipsam per se amat (nihil est enim ei veritatis luce dulcius), tum etiam propter usum. Quocirca et sensibus utitur, et artes efficit, quasi sensus alteros: et usque eo philosophiam ipsam corroborat, ut virtutem efficiat, ex qua re una vita omnis apta sit. Ergo hi, qui negant quidquam posse comprehendi, haec ipsa eripiunt vel instrumenta, vel ornamenta vitae; vel potius totam vitam evertunt funditus, ipsumque animal orbant animo: ut difficile sit de temeritate eorum, perinde ut causa postulat, dicere.

Rhetor. I. 26. *Tempus* est, id quo nunc utimur (nam ipsum quidem generaliter definire difficile est), pars quaedam aeternitatis, cum alicujus annui, mensurni, diurni, nocturnive spatii certa significatione.

De orat. II. 87. Corpus intelligi sine loco non potest.

Top. XV. Proximus est locus rerum efficientium, quae causae appellantur: deinde rerum effectarum ab efficientibus causis. Harum exempla, ut reliquorum locorum, paulo ante posui, et quidem ex jure civili: sed haec patent latius. Causarum igitur genera duo sunt: unum, quod vi sua id, quod sub ea subjectum est, certo efficit, ut ignis accendit: alterum, quod naturam efficiendi non habet, sed sine quo effici non possit: ut si quis aes causam statucae velit dicere, quod sine eo non possit effici. Hujus generis causarum, sine quo non efficitur, alia sunt quiescentia, nihil agentia, stolidam quodammodo; ut locus, tempus, materiae, ferramenta, et cetera generis ejusdem; alia autem praecursionem quandam adhibent ad efficiendum, et quaedam asserunt per se adjuvantia, etsi non necessaria, ut amor congressio causam attulerit, amor flagitio. Ex hoc genere causarum, ex aeternitate pendentium, fatum a Stoicis nectitur. Atque ut earum causarum, sine quibus effici non potest, genera divisi; sic etiam efficientium dividi possunt. Sunt enim aliae causae, quae plane efficiant, nulla re adjuvante: aliae,